

totius Corporis, non sibi Perfectam dicit esse Lætitiam, donec aliquid ex Membris deesse Corpori suo videat? Pudeat Burnetum, teste uti, qui de-liramentis hinc, si hæc rigide accipiamus, vel ipsi Christo detrahit, sedenti a dextris & in gloria Dei Patris. Ad nos quod attinet, te-nemus jam. Origenem satis aperte fateri, Sanctos e præsentī vita sub-latos, nondum Integra Meritorum suorum Præmia fuisse consequutos. Ergo jam Præmium retulere, quanquam non integrum. Lætitia quo-que est illis, sed nondum Perfecta. Adveniente Christo in fine Mun-di, tunc eis erit Præmium completum, perfecta Lætitia. Ergo & Origenes Beatitudinem Sanctorum post eorum excessum e terris non negat. Perfectam & Plenam tantummodo negat: quod ne nos quid- dem diffitemur. Neque obstat, quominus ingentem credamus illo-rum Beatitudinem, quamvis nondum Perfecta sit, quando, Orige-nes, vel ipsum Christum, certe beatissimum Perfecta nondum Læ-titia frui, sibi fingit; quod adhuc sua membra, hoc est Fideles re-liquos, expectet secum in Gloria conjungendos. Idem quoque inue-ire videtur Origenes Comment. in Matth. xlii. 36. ubi non sine aliquo errore ait: Existimo ego, in ipso statim Beatitudinis initio, qua fruuntur ii, qui salvi fiunt, quoniam nondum purgati sum, qui tales non sunt, inde oriri illam luminis Beatorum differentiam. Sed postquam a toto Christi Regno omnia collecta fuerint scandala, tunc futurum est, ut in Patris sui Regno fulgeant Justi, unum solare lumen facti. Agno-scit etiam in lib. viii. contra Celsum Angelos, Animas, & Spiritus precan-tes pro nobis in Cœlis profecto, & non in Terra. Agnoscit demum lib. i. r. cap. ultim. Peri Archon, Sanctorum Animas e Corpore decedentes ad loca aerea duci, ubi sublimiora discunt; ac tandem supra Cœlos ad Christum perduci, ubi omnia in Deo vident. En ejus verba: Puto, Sanctos quosque discedentes de hac vita, permanere in loco aliquo in terra posito; quem Paradisum dicit Scriptura divina, velut in quodam eruditio-nis loco, & ut ita dixerim, in Schola vel auditorio Animarum, in quo de omnibus his, quæ in terra viderint, doceantur &c. Si quis mundus corde, & purior mente, & exercitator sensu fuerit, velocius perficiens, ad æris locum ascendet, & ad Cœlorum Regna perveniet. Quamobrem vi-deat Burnetus, an congrue somnia sua Origenis calculo confirmanda sibi propofuerit.

Victorinum Martyrem, cujus verba e Commentario in Apocaly-psi aut interpolato, aut dubii Auctoris, laudat Burnetus, nihil moror; uti neque Lactantium Firmianum. Addicti iidem quoque Sy-stemati aurei Millenarii Regni, Animas Justorum a Cœlo arcere, ut toties dixi, cogebantur. Verum ejusmodi Systema, inane prorsus, quis, quæso, nisi cum Burneto desipere amet, concoquere nunc in tanta luce eruditionis velit ac possit? De Lactantio autem, egregio Philo-sopho, infirmo Theologo, jamdiu S. Hieronymus in Epist. 49. alias 13. ad Paulinum pronuntiavit: *Utinam tam nostra affirmare potuisset, quam facile aliena destruxit.* Alios quoque præter istum errorem in ipsius